



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXV. Eberhardvs. XLIX. Arch. IV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

buit Trevirensi Ecclesiæ, Confluentias eiusdem potestati penitus subiiciens. Annis decem eò usque Treviris præfuit Archipræsul, cum ardentissimo incensus desiderio videndi Palæstinam, petita & impetrata à Summo Pontifice proficiscendi copiâ abiit, Archiepiscopatûs & Electoratûs curâ interea Suffraganeis, in primis verò Theodorico Metensi Episcopo commissâ. Ex Syria cum fociis redux ingenti gaudio receptus est à Trevirensibus, à quibus tamen plurimum discrepabant è D. Maximini monasterio Monachi nonnulli, qui veneno tollere è medio tantum Antistitem meditabantur, eventu rerum non nisi ipsis tristissimo: nemo enim è conscia scelerum turbâ alterum vitæ annum superavit. Servatus itaque à Superis Ecclesiæ Elector Sanctus, Sanctorum honores modis omnibus promovit, quorum numero annitente Poppone Simeon in Palæstinam nupèr itineris socius à Benedicto XI. est relatus. Divorum honori junxit præclare pauperum curam singularem, quæ adeò cordi fuit, ut cum aliquando Archipræsuli liberalissimo præter equum nihil superesset, eundem famelicis in cibos distribuendum concesserit. Annis 31. Ecclesiam & Imperium Poppo suis verbis & factis illustrissimis exornavit: unde inter summorum juxta ac infimorum pias lacrymas an. 1047. sepultus est in æde, quam Magnæ Virginis honoribus ædificârat & consecraverat.

LXXV. EBERHARDVS. XLIX. ARCH.
IV. ELECTOR.

Eberhardus Hezilonis Palatini Comitis filius, Popponi mortuo successit, ab Henrico III. Imperatore propositus, ab Electoribus Clericis electus. Anno ab electione hac altero Bruno Tullensium Episcopus eligitur Pontifex Leo IX. dictus, quem Præsulem sanctissimum dum comitatur Eberhardus, præter Primatus sui, & privilegiorum confirmationem, mitrâ & pallio

pallio Romæ exornatus, adiit possessionem quatuor Coronatorum dictam. In Rhemensis dein Synodo Pontifici sedit à sinistris proximus, Widoni Rhemensium Archiepiscopo tanquam loci Domino, concessâ dexterâ. Qui, dum alii de Simonia crimine rei sunt inventi atque condemnati, inter suspectos est numeratus. Eberhardus etiam in Moguntina Synodo præsens cum D. Leone Simoniacos condemnavit. Italiam petente Pontifice ad inquirendas D. Mathiæ Reliquias, quas Româ Treviros translatas esse acceperat, se totum convertit Archipræsul, ubi favente DEO evenit, ut Presbyteri cuiusdam investigantis ex sacrorum ossium contactu manus oleo constanter stillaret, quo indicio D. Apostoli corpus est monstratum. Dum Sacra hunc in modum curavit, Electori huic cum Conrado Comite Lüzelburgico lis intercessit gravissima. Atque hic dum per insidias Eberhardum captum pertinaciter retinet, latâ Romæ sententiâ proscriptus, sed & mox facti poenitens ab Eberhardo veniam impetravit, atque à Pontifice imperatum sibi iter in Palæstinam aggressus est, ibidem sanctè mortuus. Interea dum Hebræorum aut conversionem, aut expulsionem zelo justissimo urget Eberhardus, ab iisdem maleficiis petitus occiditur: dum enim Electoris imaginem ex cera confectam lento igni admovent, eidem sacra solennia peragenti morbum & mortem accelerant an. 1066. dum sedit an. 19.

LXXVI. ADO. L. ARCH. V. ELECTOR.

Post sepultum Eberhardum Archipræsul Coloniae Anno, Cunonem seu Conradum Coloniae Præpositum, Virum meritis maximum Treviris Electorem optavit, verum dum cæpto operi ardentius institit, vehementius obstiterè Clerici populûsque Trevirensis duce Theodorico Comite, qui Conrado Urtzigii capto, atque in custodiam durissimam dato, tortores & percussores immisit. Hi cum Virum innocentissimum ter